

Post scriptam, non missam, hanc, venit Nuntius de clade Hispanorum in Belgii confinio, letatur celum et terra sperans libertatem christianitatis libertatem ab imperio per Austriacos redacto in officinam heresiarcharum et in peculium hispanismi ampliandi super cervicibus ecclesie et principum ejus. Precor Deum Sabaoth atque regem christum ejus (sic), ut tempus nullum nec latebra detur pavidis hostibus, si hac anni quarta vultis Belgio potiri toto (quidquid enim inter Tyrrhenum et oceanum et inter Pyrenem et Rhenum interjacet vestrum est dicit veritas) atque ad majores expeditiones arma convertere, cavete, quoniam Hispani occulto Marte et procrastinato fiunt victores, Galli aperto et celeri, quoniam illi astuti et timidi; hi fortes impetuosi: quapropter plurima et quidquid petitis pollicebuntur et solum Domini Treverensis restitutionem subito prestabunt: ut dum robur Gallici creduli exercitus per moras lentescit, dissolviturque: ipsi dolos ad alienandum a vobis principes populosque et auxilia procuranda exercere possint ac promissa irrita facere, ut mos ipsorum est. Scripsi, quae facienda hoc tempore explorante provident viro, tum in Italia apud pontificem, tum hinc. Nescio an receperit eminentissimus Cardinalis dux: Qui, ut puto, accipit pro solidis, quae amor et fides mea dictat, quamvis inania essent. Cum revertentes veneritis in exultatione portantes manipulos victoriae, colloquemur. Vale in Domino, qui saluum facit regem et exercitum ejus: sicut incessanter et instanter oramus. Amen.

Die 31 Maii 1635.

Prestantie tue illustrissime fidelis servus obsequentissimus

Fr. Thomas Campanella ord. pred.

Illustrissimo d. de Séguier Reginorum sigillorum custodi  
patrono observandissimo in propria manu cito cito.